

00
Kt. S. c. 132

vgl. an Bd. 2087

Theol.
W. C. B.

j 25
Q. D. B. V.
DE
**ULTIMIS PAULI APO-
STOLI LABORIBUS à B.
LUCA PRÆTERMISSIS**
DISSERTATIO I.

QVAM
ACTUS DISPUTATORII MODERATOR
**PAULUS ERNESTUS
JABLONSKI**
S. THEOL. D. ET PROF. P. ORDIN.

ET
RESPONDENS
CHRISTIANVS COCHIVS
Bilefelda - Westphalus
S. S. Th. St. et St. R. A.
EXAMINI PUBLICO SUBMITTENT
D. VI. April. MDCCXLVI. 246
HORA LOCOQUE CONSVENTIS

FRANCOFURTI ad VIADRUM
Typis MARTINI HYBNERI.

LIPIUS PAULI APO
SLOGI TABORINIS R.
REGI PRATICUS
DISSESTITIO
ACUTUS DILECTUS
PULUS ERNSTUS
JAVIONE
CHRISTIANUS COGNITUS
MAXIMUS TURIO SUMPTUOSUS
HONORIS CONSERVATOR

ERICHSONI ET M. KIRCHERI
TITIS MARTINI HONORIS



Non credo quenquam usque adeo iniquum re-^{Commenda-}
rum aestimatorem esse, ut eorum diligen-^{tur eorum}
tiam, qui in digerendis Pauli, magni gen-^{diligentia,}
tium Apostoli, annis, inque ordinandis ejus ^{qui labores}
itinibus, laboribus, rebusque gestis, aliquam studii disponunt,^{Pauli ordines}
& temporis partem collocant, contemnendam, aut etiam et per annos
vituperandam esse existimet. Etenim, si in omni histo-^{digerunt.}
ria, accuratus rerum & temporum ordo, non modo hi-
storiae ipsi plurimum lucis affundit; sed etiam lectoris
animum insigniter delectat; attentionem ejus dirigit,
memoriamque adjuvat, an non idem de historia sacra
Apostolica nobis fatendum quoque erit? Ego certe
non sine ingenti voluptatis sensu mecum perpendere so-
leo, quid magnus hic Apostolus, primo, quid deinde,
quid ultimo ex consilio Dei peregerit, à quibus initis
ad majora majoraque semper progressus, tantum Ecclesi-
arum in toto orbe numerum Christo Domino collegerit,
et Ecclesias collectas ad majorem indies perfectionis cui-
mulum deduxerit, quibusque gradibus in perdifficili ac
molesto laborum Apostolicorum curriculo processerit, et

A

pro-

procedendo tandem glorioissimam metam contigerit. Talis meditatio, et ad recte pernoscenda Pauli in Ecclesiam et rem Christianam universam ingentia merita, et ad celebrandam Gratiae Divinae in ipsum ad utilitatem publicam collatae magnitudinem, et denique ad formandam sibi perfectam consummatisimi Theologi ideam, non potest non conducere plurimum. Neque etiam ignorare possunt, qui ad studium exegeticum curas cogitationesque suas sollicite converterunt, quantum ex observato accurate rerum et temporum ordine, in libros Scriptorum Sacrorum, et in quaedam eorum loca, aliquin valde obscura, lucis redundare soleat. Bene igitur de Scriptura N. Testamenti mereri censendi sunt, qui vitas Apostolorum, ac sigillatim Pauli, ex ipsorum librorum sacrorum inter se comparatione curatius investigant, annos sedulo distinguunt, et quantum fieri potest, in quemvis acta illi propria conjiciunt. Extant de hoc argumento complures Virorum doctorum justae commentationes, laude dignissimae, extant etiam observationes singulares, in libris sparsim reperiundae, ad quas tenues quasdam symbolas hic conferre animus mihi est.

Id in primis usū venit in iis, quae Paulo post conversionem et id tempus, in quo Lucas desinit, evenerunt, §. II. Et in iisquidem, quae Paulo post conversionem et suscepimus Apostolatum usque ad finem priorum vinculorum Romanorum contigerunt, quaeque is durante toto illo tempore, in honorem & pro Salute Ecclesiae Christianae gessit, ducem habemus certum, B. Evangelistam Lucam, qui in Actis Apostolorum lucem clarissimam nobis praefert, filumque veluti Ariadneum subministrat, quod cum Pauli Epistolis junctim & rite adhibitum, nos à vero aberrare non sinit. Quid ab eo tempore Paulus egerit, qua occasione, quare ratione, vinculis solitus sit, quid postea rerum & ubi gesserit, ob quam rem dein Romanum redierit, ibi condemnandus & capite plectendus, hoc

hoc omne, inquit Theologus memoriae venerabilis,
HERMANNVS WITSIVS, si verum fateri volumus, prorsus
in obscuro est, ideoque Dissertationes suas de vita Pauli, ne-
mini non laudatas, & bonarum observationum plenas,
in fine priorum ejus vinculorum Romanorum desinere
jussit. Nempe in ea persuasione fuit vir nunquam satis
laudandus, nullas superesse Pauli Epistolas, ab eo post
priora illa vincula scriptas, ex quo sane, si res ita se ha-
beret, luculenter sequeretur, rebus illis, quas Paulus,
prioribus Vinculis Romanis solutus, gesit, nullam o-
mni nec ab historia sacra, nec ab Epistolis Paulinis
accedere posse lucem, adeoque omnia incerta esse & in
obscuro manere. Sed, quod pace viri præstantissimi di-
Etum cupio, sunt rationes nec numero paucae, nec leves
pondere, quae me credere jubent, extare in Canone N.
Testamenti quinque Epistolas, à Paulo post liberatio-
nem e vinculis Romanis scriptas, ex quarum attenta &
meditata lectio, pars illa historiae Pauli, ejusque iti-
nerum & laborum, quam Lucas praetermisit, non sine
aliquo certitudinis sensu, aliqua ratione res arciri potest.
Res hæc, a PEARSONO Anglo, in * *Annalibus Paulinis*,
aliisque etiam non infeliciter tentata, digna utique est,
quæ porro nova cura expoliatur, uberior illustretur, &
in tuto collocetur. Et in hoc argumento haec nostra
quoque versabitur opera.

§. III. Historia Pauli, quam Lucas in Actis Apostoloro- *De Vinalis*
rnm contexuit, perducta ab eo est, usque ad Apostoli e *Pauli Ro.*
vinculis Romanis biennalibus excessum. Cum enim *manis, in*
Cap. xxviii. retulisset, quomodo Paulus Romam advene- *quibus Liu-*
rit, & qua ratione illic à Judaeis exceptus fuerit, hunc *cas definit,*
historiae Paulinae & toti suo libro finem imposuit.

A 2

Man-

* Editis inter Episcopi illius Opera posthuma Londini 1688. 4to & recens
 Hals 1719. 8vo.

Mansit autem biennio rōro in suo conducto: Et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei, Et docens Evangelium de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione. Haec enim erat ratio & indeoles vinculorum Pauli, qui bus Romae constrictus fuit, quamque Lucas exponit eod. cap. v. 16. Τῷ δὲ Παύλῳ ἐπετέλην μένειν καθ' ἑαυτὸν, σὺν τῷ Φυλάσσοντι αὐτὸν τραπέων. Paula vero permisum est, ut habitaret seorsim cum milite, qui ipsam custodiret. Ubi recte BEZA haec observat. Seorsim, καθ' ἑαυτὸν, non in publica custodia, sed in private hospitio, quod sibi videlicet conduxerat. Quomodo vero Paulus, in proprio conducto, à milite secundum mores Romanorum custoditus fuerit, ex his SENECAE locis, à GROTIO virisque eruditis, aliis, observatum explicatumque est. De Tranquillitate Lib. I. c. X. Sed quid resert? eadem custodia universos circumdedidit: aligatique sunt etiam qui alligaverunt, nisi tu forte leviorēm in sinistra catenam putas. Epistola V. Eadem catena Et custodiā Et militem copular. Nempe, verba adfero LIPSII in Taciti Annal. Lib. III. p. 140. Edit. Plantin. Custodie modus, ut is qui in vox effet, catenam manū dextræ alligaram haberet, quas eadem militis sinistram vinciret, custodiā ejus praefecti. Catena illa erat longa, quo siebat, ut vincetus commode, quo vellet, ambularet, & negotia pro iubitu perageret. Haec erat conditio vinculorum Pauli Romanorum, quam per integrum biennium, teste Luca, perpetidebuit, quo elapsa, pristina libertate in universum frui, datum ipso est.

*De liberatōne
Pauli
ex vinculis,
illiusque or-
atione.*

§. IV. Parum equidem nostra resert, qua occasione Paulus vinculis solitus fuerit, quod prorsus in obscurō esse optimus WITSIVS judicat. Sed ipse tamen Paulus quae-dam nobis subministrat, ex quibus de causis & occasio-nibus solutionis ejus aliquid, non sine magna probabili-tatis specie, conjicere licet. Et quidni ad jucundissi-mas

mas vias Providentiae Divinae, Paulo in commodum & salutem Ecclesiae tam sollicite invigilantis, earumque vestigia luculenta hic attendamus? Paulus Romae quidem hospes tantum & peregrinus erat, amicis opulentis & potentibus, cum eo veniret, penitus destitutus. Munus quod in ipsum Christus Dominus contulerat dignissimum Apostoli, ipsum veris cultoribus Dei carum quidem & venerabilem reddebat; sed & eidem odium superstitionis plebis, & insuper potentium in Imperio Romano, & sapientium hujus mundi contemptum sumum adferebat. Ad gubernacula Imperii Romani se-debat Nero, in quo praeter externam speciem nihil humani inerat, rerum divinarum omnium derisor, & cunctorum bonorum hostis juratus, monstrum ex vitiis & criminibus, & omnium maxime injustitia & crudelitate confiatum, cuius sententia tamen Paulo standum nunc erat. At vero, quia Deus ministerio Pauli, in uberioris Ecclesiae suae commodum, etiam porro uti decreverat, facile ipse erat, omnia illa tristissima omina in honorem Evangelii & Pauli salutem vertere. Testatur certe Paulus, ad finem jam properante biennio illo captivitatis, quo detenus fuit, ea quae sibi Romae acciderunt, ad maiorem Evangelii incrementa fecisse, adeo ut vincula ejus celebria evaserint in toto Praetorio, & locis reliquis omnibus, & plerosque ex fratribus in Domino, vinculis suis fratres, magis impavide sermonem Evangelii loqui ausos fuisse. Phil. I. 12. 13. 14. Notus igitur erat Paulus in toto Praetorio, id est Palatio Caesaris, ita ut inter ejus domesticos, haberet quoque discipulos, & amicos, quorum nomine Philippensis saltem dicit c. IV. 22. Neque adeo absurda eorum mihi videtur conjectura, qui sibi imaginantur, inter domesticos Caesaris Neronis, quos amicos & benevolos expertus fuerat Paulus, ponendam quoque esse Poppam Sabinam, quam non ita primam connubio sibi junxerat Nero. Illi enim testimonio

um perhibet JOSEPHVS Antiqu. Lib. XX. c. 7. quod fuerit θεοτρόπος Deum colens, quo nomine, Judaei graece scribentes, uti & * Scriptores N. Testamenti, designare solent *Praeelyros*, quos vocant *portae*, qui nempe dimisso idolorum cultu, unum verum Deum adorabant, & ad servanda Praecepta Noachica semet obstringebant. Testatur idem auctor de Poppaea Sabina, quod Judaeis impensis faverit, & res eorum, ubi se obtulit occasio, strenue promoverit. Fieri utique potuit, ut à Judaeis credentibus, (A&t. XXVIII. 24.) Apostolus noster commendaretur Poppaeae, & haec, et si moribus esset non omnino probatissimus, ipse favorem Imperatoris conciliaret. Quomodo cumque vero res haec se habuerit, de eo vix dubitandum esse videtur, amicos Pauli, quos habebat in domo Caesaris, auctoritate sua ipse solutionem à vinculis, & libertatem plenam impetrasse. Perfici id tanto facilius poterat, quod Paulus aliorum criminum convinci à nemine posset, nisi dissensus a reliquis Judaeis, in non-nullis Doctrinae capitibus, & cultus Sacri ritibus. Quae omnia quanto supercilium Romani despicerint, quam contemtim habuerint, vel ex illa sententia satis perspicci potest, quam Gallio, Senecae frater, Achajae Proconsul, adversus Pauli delatores, Judaeos, aliquando tulit. Si de facto quopiam injusto & scelesto commisso quaestio esset, sequuntur esset, ut vos patereret, quantum velletis, dicere. Quando vero argitur de disputacionibus, & verborum pugna, & lege vestra peculari, vos ipsi videritis, ego judicium de his rebus ferre nolo. Et abegit eos à Tribunali. A&t. XVIII. 14. 15. 16. Quis ambigat, eandem omnino fuisse mentem eorum, quos Paulus Romae, si causa ejus illic fuisset examinanda, iudices habiturus erat.

§. V. Vin-

* Vid. JOS. MEDI Diatribas Vol. I. p. 88. 89. &c.

§. V. Vinculis Romanis exsolutus Paulus, secundum *Paulus vln-*
culis solutus
 calculos PEARSONI, quos sequor, A. C. 63. iter sibi
A. C. 63.
per Italiam
iter in Grae-
ciam institu-
uit, & in
hoc itinere
ad Hebreos
scribit.
 per Italianam in Graeciam & Judaeam instituendum esse
 putavit, quod ex Epistola ad Hebreos, in Itinere Itali-
 co exarata, indiciis non obscuris colligitur. De Episto-
 la ad Hebreos, quia ad eam perventum nunc est, lites
 antiquas, dudum jam sopitas & compositas, refusci-
 tare hic nolim. Certum pono, quod * viri egre-
 gie docti argumentis evidenter demonstratum dede-
 runt, Paulum esse verum Epistolae hujus auctorem,
 eumque ad fratres suos, Judaeos in Palaestina, sermone
 non hebraico, sed, qui etiamnum supereft, gracco, scri-
 psisse. Video, ita sentire plerosque, scriptam esse hanc
 Epistolam à Paulo Romae, eo tempore, quo vinculis
 constrictus, etiamnum in urbe illa detinebatur, idque
 ex eo probari, quod Paulus Hebr. X. 34. cum intimo gra-
 titudinis sensu agnoscat, Hebreos cum vinculis suis
 compati. Verum profecto, verba illa attente legenti,
 non potest non illico manifestum fieri, loqui Apostolum,
 de re non praesenti, sed praeterita. *Toīc δεσμοῖς με συντίθονται. De vinculis meis metum doluiſtis,* nempe, dum
 adhuc perferenda mihi erant. Monendum porro, Codd.
 MSS. non paucos, apud MILLIVM, talem praeferre
 lectionem *toīc δεσμοῖς συντίθονται. Doluiſtis cum vīnclis,*
 quod pietatis officium illis ipsis Hebreis commendatar
 Hebr. XIII. 3. Lectionem hanc, quae GROTIO valde
 probatur, videtur etiam in Codicibus suis invenisse
 interpres Syrus & Aegyptius, & Latinus vulgatus. Ne-
 que inficias ire pollimus, à veterum plurimis verba
 haec

* Consulendae sunt in primis FRID. SPANHEMII Fil. Dissertationes de
augore Epistolas ad Hebreos Opp. Tom. II. col. 171. &c. cuius
 gationes eleganter contraxit WITSIVS in Dissert. XII. de vita Pa-
 li in Melat. Leiden. p. 199. &c.

Haec ad istum modum laudari. Licebit igitur nobis ex loco isto potius concludere, Paulum scribentem ad Hebraeos, aut vinculorum suorum mentionem plane nullam facere, secus atque eum egisse novimus in omnibus illis Epistolis, quas in vinculis Romanis scripsit, ad Ephesios, ad Philippienses, ad Colossenses, ad Philemonem, & ad Timotheum secunda, aut eum calamitatis hujus meminisse tanquam, quae jam praeterierit. Non meliori jure, eruditii idem ex Hebr. XIII. 18. 19. ubi Paulus se Hebraeorum precibus eo commendat, ut tanto citius ipsis reddatur, elicere volunt, Paulo haec scribenti, vinculis quippe adhucdum ligato, liberum nondum fuisse, ex voto suo Hebraeos invilere. Nam hujus rei contrarium disertis verbis testatur capitulii ejusdem v. 23. Paulus. Sed istum ex piis precibus Hebraeorum frumentum Paulus sibi promittit, fore, ut cogitata & copta Deus clementissime secundet, & impedimenta, quae sibi iter facienti objici poterant, e medio tollat. Quibus attente consideratis non possum non ad stipulari doctissimo PEARSONO, qui in Annalibus Paulinis ad A. C. 63. haec observat: *Paulus Roma existit, & in Italiam propriam secessit, ubi expectans Timotheum scripsit Epistolam ad Hebraeos.* In quam sententiam concedit etiam MILLIVS Prolegom. in N. Testam. fol. X. Certe Paulus in illa Epistola non meminit fratrum, socrorum & amicorum, quos Romae habebat, quod ceteroquin ipsi solenne fuisse, sciunt omnes, sed tantum Italicorum: *Salutant vos de Italia fratres.* Hebr. XIII. 24. nempe quos in itinere suo recentissime viderat, & qui hoc salutandi fratres officium ipsi nunc modo commendaverant. Eodem cap. v. 23. Hebraeos suos certiores reddit, τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον, fratrem Timotheum vinculis exsolutum esse, nempe Romae, ubi paulo ante liberationem Pauli, aliquamdiu, in certum qua de causa, in custodia militis fuerat,

eius.

ejusque adventum se nunc operiri significat, ut cum eo iter ad ipsos prosequi possit. Haec enim addit, *cum quo, si modo cito adfuerit, vos videbo.* Haec omnia satis testantur, Paulum, cum ad Hebraeos scriberet, in Italia proprié dicta haecisse, & Timotheum Roma ad se properaturum expectasse, ut tum in ejus comitatu ad Hebraeos contendere posset. Non latuit hoc auctorem subscriptionis, quae Epistolae ad Hebraeos, in nostris Codd. & editionibus subjicitur, his verbis conceptae. *Scripta est Epistola ad Hebraeos ex Italia.* Interpres Aegyptius habet, *in Italia,* Syrus, *ex Italia Romana*, qui omnes sententiam nostram suo suffragio coumendant.

§. VI. Quinam sint Hebrei illi, quibus Apostolus Epistolam suam inscriptam voluit, difficile non est assequi, *Explicatur,* tametsi quaestio etiam haec eruditos in diversas partes *sint Hebrei* distraxerit. Et de eo quidem nemo ambigit, per Hebreos intelligi illos ex Abrahami posteris, qui audita *paulus scripsit.* prædicatione Evangelii, fidem Christi amplexi erant, & ad cœtum discipulorum ejus se adjunxerant. Enim vero cum illi & cœtum Hierosolymæ haberent amplissimum, & praeterea per Judaeæ totius urbes, per Syriam, Asiam, Persidem, omnesque Imperii Romani Provincias dispersi essent, anquiri solet, utrum ad hos omnes quaquaversum, an ad aliquos eorum tantum Epistolam suam auctor direxerit. Hic jam id extra omnem dubitationis aleam positum esse debet, scribere ad eos Apostolum, quos viderat, inter quos docuerat, quos familiari usu cognitos habuerat. Nam sperat *se brevi ipsis restitutum iri* Hebr. XIII. 19. & desiderio tenebatur enixo eos videndi, ibid. v. 23. Potestne igitur obscurum esse cuiquam, primarium hujus Epistolæ respectum esse ad Hebreos Hierosolymitanos conversos, inter quos ad pedes Gamalielis educatus fuerat Act. XXII. 3. quorum

B

Eccle-

Ecclesiam, ut matrem reliquarum omnium per totum orbem, enixe colebat, quos sive praesens esset, sive absens, in oculis suis & in sinu gestabat, ad quos sublevandos & solamine aliquo recreandos, peragraverat Asiam, Macedonia & Graeciam, ut in his & aliis quoque regionibus, sive ipse coram, sive per suos in opere Domini laborum socios, ex liberalitate Ecclesiarum, idoream pecuniae vim corrogaret, quam ipse Hierosolymam deportare, & dilectissimo sibi gregi tradere discipiebat. A&XIX.
 21. Rom.XV.26. 1.Cor.XVI.1.2.3. Appulerat etiam eo fine Hierosolymam Apostolus, ut cogitata exequereatur, ipsosque omni solatii, quo egebant, copia, perfunderet, cum ecce, aliter rem dirigente Deo, inter primos amplexus, à carissimis fratribus divulsus, Caesaream primo ligatus, & exinde Romanam deductus fuit. Itaque solutus jam vinculis, ante omnia Hebraeos suos Hierosolymitanos revisere, &, quae ante quinque circiter annos, propter iniquitatem temporum, interrumpenda fuerant, nunc perficere decreverat. Idque luculentus significat Hebr.XIII. 19. *Precamini pro me ut tanto citius vobis restituar, vel, ut negotium meum apud vos ciro* in pristinum statum restituantur.* Alia argumenta, ex Epistola ipsa pariter à viris doctis acute eruta, & id ipsum, quod adstruxi, egregie confirmantia, nunc, ne in nimium excrescant hae pagellae, libenter omitto. Etsi igitur fatendum omnino sit, Hebraeos, quos in Epistola Paulus compellat, intelligendos omnium primo esse Hierosolymitanos, nolim tamen id tam arctis limitibus circumscribere, ut alii credentes in Christum ex Hebraeis, qui in diversis Judaeae, sicuti & Syriae & Asiae minoris urbi-

* Hac enim est vera vis vocis in græco Textu occurrentis *ἀνεκδίσηται*.
 Vide BVDAEI Commentarios lingvæ græca pag. 487. Edit. Paris.
 EDU, LEIGH, Criticam Sac, in h, V, & alias probatorum Lexicorum
 auctores,

urbibus domicilium habebant, & quibus in iisdem illis locis Apostolus Evangelium maximo cum fructu prædicaverat, hic excludantur. Magnum apud me pondus habet testimonium Petri Apostoli, Hebraicis his in memoriam revocantis literas, quas ad ipsos quondam Paulus scriperat 2. Pet. III. 15. 16. Quamobrem non invitus subscrivo judicio quod in hac causa tulerunt doctissimi interpres Gallici Berolinenses N. Testamenti, quodque in Prolegomenis eorum ad Epistolam ad Hebreos p. 436. hunc in sensum legitur: *Credimus Epistolam hanc à Paulo prescriptam fuisse ad Hebreos Hierosolymae & in Palæstina degentes. -- Sed & ita judicamus, non cum his solis Apo-*

stolo scribenti negotium fuisse, verum cum omnibus generatim, quibus Evangelium prædicaverat, in Syria, & in Asia quoque minori, quosque revisere decreverat. Est igitur Epistola hac re ipsa encyclica, missa primo in Iudeam, sed deinde iussu Pauli cum ceteris quoque Hebreis, apud quos Evangelium annuntiaverat, communicanda. Et profecto omnium hic aequaliter causa agebatur, omnium quam maxime intererat, rerum Epistola hac propositarum gravissima momenta, attenta mente volvere & revolvere, ac tenaci semper memoria complecti.

§. VII. Ex iis, quae de Epistola Pauli ad Hebreos dis-
sputavimus, sic jam satis constare potuit, quoniam Paulus, Roma per Italiam iter faciens, contendere porro in animo habuerit. Nempe Hierosolymam cogitabat, volebat repete Judeam, ardebat desiderio revidendi beatos illos in Syria quoque & Asia cœtus, quos aut per gratiam Dei plantaverat, aut labore indefesso, Deo incrementum benignissime concedente, irrigaverat, & qui nunc tempore afflictissimo, consolatione, adhortatione, & corroboratione in fide & pietate quam maxime indigebant. Si tamen B. CLEMENTEM ROMANVM, vi-
rum Apostolicum, & à temporibus Pauli non ita remo-

*Paulus ex
Italia non
transit in
Hispaniam.*

tum, audiamus, Apostolus noster discedens Roma, iter suum non in Orientem, sed vice versa in Occidentem, Hispaniam videlicet, direxit. Ita enim verba ejus in Epistola I. ad Corinthios §. V. accipiuntur, ubi de Paulo ait, quod ὁ λογοτέλος τοῦ κόσμου οὐκ ἐπὶ τῷ τέρματι τῆς δύσεως (ἡλθεν) mundum totum peragraverit, & ad terminum Occidentis venerit. Nam per terminum Occidentis designari Hispaniam, & res ipsa loquitur, & * veterem consensus declarat, qui auctoritate Clementis permoti, crediderunt, Hispaniam quoque laboribus & doctrina Pauli illustratam fuisse. Nec desunt, qui verba CLEMENTIS sensu adhuc laxiori & ampliori accipientes ** Britanniae quoque insulam comprehendere hic velint. Sed quae de Britannia dicuntur, profecto omni prorsus non veritatis modo, sed & verosimilitudinis qualiscunque fundamento destituta sunt. Nam CLEMENS per terminum Occidentis, nihil quam nisi Hispaniam subinvenire voluit, quod omni procul dubio vir Sanctus sibi ab ipso Apostolo accepisse vi-
sus est, ut qui ad Romanos scripsisset c. XV. v. 24. Cum in Hispaniam proficiam capero, spero quod praeteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fructus fuero. & v. 25. 28. Nunc igitur proficiar Hierosolymam, ut ibi sancti ministrem. Et hoc cum perficerem per vos proficiam in Hispaniam. Ex eo sic collegerat optimus CLEMENS, Paulum, qui re ipsa Hierosolymae fuisse, & postea Romam, quantumvis ligatus, pervenisset, e vinculis dimissum, deinceps

* Loca ipsorum citata & producta videri possunt in PEARSONI Annalibus Paulini ad A. C. 63. CAVEI Antiquitatis apostolicas in vita Pauli c. VII, §. 7. p. 420.421. Edit. germanicae, BARONII Annalibus ad A. C. LXI. num. II. III. &c.

** Horum loca producuntur à GUILIELMO BVRTONO in observationibus Anglicis ad Epistolam Clementis Londini A. 1647. editio-
num XI. p. 54. 55. Adde VSSERII Antiquitates Ecclesiastarum
Britannicarum cap. I. & CAVEI Antiquitatis apostolicas ... loc. cit.

ceps cogitatorum & promissorum memorem in Hispaniam pedem promovisse. Et huic id crediderunt veteres reliqui. Verum in Epistola ad Hebraeos, scripta ab Apostolo brevi post quam Romanis valedixisset, nulla jam amplius Hispaniae mentio deprehenditur. Cogitationes Apostoli omnes tum in Hebraeos intentae erant & defixaes, illos quam primum videre animus nunc unice gestiebat. Videor mihi ex Epistolae illius c. XIII. 19. veram Apostoli nostri mentem & intentionem sic colligere posse. Consilia, quae mente sua olim agitaverat, & rerum quas in emolumentum Ecclesiae peragere, intenderat, cursum, perturbaverant vincula, quae in Judaea ipsi injecta, & Romae continuata fuerant. Illum cursum interturbatum de novo exordiri, & res suas in pristinum statum restitui cupiebat, ideoque nihil ipsi jam prius aut potius erat, quam ut Hebreis suis in Palaestina & Hierosolymae redderetur. Ceterum, ne quis mihi auctoritatibus CEMENTIS, viri temporibus Paulini proximi objicere posset, monebo paucis historiam horum temporum, ab anno videlicet 63. 64. Christi, usque ad annum 120. propter persecutiones Judaeis in Palaestina, & Christianis ubique intentatas, atque dispersiones Christianorum multiplices, adeo obscuram & incertam esse, ut mirum non sit, Clementem rumore aliquo populari, sed falso, in erroris societatem pertractum fuisse.

§. VIII. PEARSONVS, ejus accusationi & judiciofis *Ex Italia obseruationibus me multum-debere, ultro & libenter fateor, auctoritate veterum inductus, Paulum ex Italia in Hispaniam deduxit quidem, sed moram ejus in istis oris nonnisi brevem agnoscit. Nam concipit, eodem anno, Christi 63, Paulum Romae & vindictum fuisse, & vinculis solutum, & in Italiam secesisse, & deinde in Hispaniam profectum esse, ac ultimo in Cretam navigasse.*

B 3

Haec

*Paulus vi-
detur dela-
sus esse in
Cretam, &
exinde in
Judream.*

Haec enim in Annalibus ejus, actis anni 63. finem imponunt. *Paulus navigat in Cretam.* Postremum hoc veritati & genuino ordini auctorum Pauli prorsus consentaneum esse opinor. Id largiuntur omnes, Paulum aliquando profecitionem in Cretam instituisse, & in laudibus ejus hanc quoque ponendam esse, quod florentem illam Insulam salutari Evangelii luce primus imbuerit. De eo enim testatur ipse ad Titum I. 5. *Eius rei gratia te in Creta reliqui, ut, quae adhuc dicerant, perficeres, & in urbibus Presbyteros ordinares.* Itaque Paulus in Creta Ecclesias Christo Domino colligere coepérat, & operis tam salutaris atqne glorioſi consummationem, Tito suo demandaverat. Qui hoc contigisse ante vincula Pauli Romana priora hariolantur, conjecturis meris & puris indulgent, quae probabilitatis nihil habent, & se in difficultates conjiciunt, ex quibus extricare se non possunt. Lucas in Actis, profecitionis Paulinae in Cretam institutae, & verae religionis illic plantatae, quod tamen operae pretium ferebat, nullam prorsus mentionem injecit. Et ordo quoque rerum à Paulo gestarum, quem Lucas describit, talis est, ut cum hac ejus profecitione in Cretam, & cum ejusdem hiematione Nicopolitana, de qua ad Tit. III. 12. amice conciliari nequeat. Sed omnia bene habebunt, & nulla ne vel levissima quidem superesse poterit difficultas, si Acta Pauli Cretica, inter vincula ejus Romana priora atque posteriora intermedia locemus. Cum Paulus ex Palaestina vinclitus navi in Italiam veheretur, in unum alterumve Cretae portum appulit, & si per ipsum stetisset, in illa Insula tum hypernasset, id quod tamen à Centurione, in cuius custodia erat, impetrare non potuit Act. XXVII. 7. 8. &c. Quoniam vero, uti dicebam, in uno alteroye portu moram aliquam fecerat, atque tum forte inaudiverat, quanta pace & libertate Judaei illic locorum fruerentur, Tit. I.

10.

10. intellexit facile, sibi, aut potius Evangelio, in Insula illa uberem messem paratam esse, cuius memoriam, uti erat semper gloriae Dei & salutis hominum promovendae cupidissimus, animo suo excidere passus utique non est. Credibile est, Apostolum nostrum, intensissimo mentis desiderio ex Italia ad Hebreos suos festinantem, eandem tenuisse viam, quam ex Judaea in Italiam profecturus, emensus jam erat, adeoque in reditu similiter in Cretam appulisse, & forte ibi hiemem negotio, quod meditabatur, salutari, impendisse. Aut si cursu non interrupto, tum quidem recta in Palaestinam delatus est, facile ipsi postea erat, ex Palaestina aut Syria in Cretam excurrere, ut mente olim conceptum pium & gloriosum opus in aetum tandem deduceret. Ubi relieto in universum Oriente, per Graeciam Paulus in Italiam reverti voluit, alia plane via usus est, quod sequentia planum facient. Non commodius igitur, Actis Paulo & Titi Creticis, quam id quod diximus, assignari poterit tempus. A. C. videlicet 63. vel 64.

§. IX. Inter tot molestos quidem, sed & auspicatos labores, à Paulo in ornameutum & incrementum rei Christianae omnis, in commodum & aedificationem tot Ecclesiarum, ad corroborationem & consolationem tot primorum hominum, Romae, in Italia, in Creta, & forte etiam in Judaea, exantlatos, transactus est annus 63. aerae vulgaris Christianae. Qui jam sequitur annus 64. multo magis turbulentus, rebusque tum Hebraeorum in Judaea, tum Christianorum, Romae, in Italia, &, quod incredibile non est, in imperio Romano quaquaversum, tristis vehementer & flebilis extitit. Nam quod ad Judaeos attinet, illi, durante adhuc pacis nomine & aliquali specie, mala belli pene omnia & acerbissima quidem haeretens pertulerant. Tanta iniquitate, tam indignis modis, à Procuratoribus Romanis erant oppressi

A. C. 64.
Catus Ec-
clesiarum in
Palaestina,
Syria, & Ae-
olia minori
invisi.

&

& veluti exhausti, tot caedes, rapinas & consimilia mala, sicariorum crudelis ferocitas ubique per totam regionem post se traxerat, in tot angustias furor Zelotarum in populo, & deploranda dissidia intestina, totam Rempl. Judaicam conjecerant. Omnibus his malis cumulum ultimum adjectit Geslius Florus, Albino Procuratori Romano, hoc ipso anno Successor datus, de quo TACITVS Histor. Lib. V.c. 10. Duravit patientia *Judeis usque ad Geffum Florum Procuratorem.* Sub eo bellum ortum. Ab hoc tempore itaque, in Judæa omnia tumultus respirabant & bellum, quod biennio fere post in apertam flamمام erupit. Haud laetae magis & pacatae erant res Christianorum, adversus quos eodem illo anno, Romae persecutionem atrocem auspicatus erat Nero, quod sane inimicis ipsorum, ubique terrarum, quidvis adversus eos audendi, & animum & facultates addidit. Quid temporibus adeo miseris, quæ, si quodquam aliud, diligentia, patientia, fidelitate & Zelo magni nostri Apostoli indigebant, egerit, non tam ex Scriptis ipsius certo scimus, quam potius probabili ratione conjicimus. Ex Epistola ad Hebraeos c. XIII. 23. intelleximus, animum fuisse Paulo, fratres suos, Hierosolymæ viventes; sed & per Iudeam totam, Syriam, Asiamque minorem disperfos, comite Timotheo revisere. Dubio vix locus est, quin consilium istud, currente anno 64. ex animi sententia perfecerit, animosque credentium in Iudea, multa ac vehementi anxietate & sollicitudine afflitos, ad pie in Christo vivendum, & ad fortiter quaevis propter nomen ejus patiendum, omni mentis contentione & affectu adhortatus fuerit. Quod qua ratione aggressus fuerit, ex Epistola ejus ad Hebraeos non inaniter colligimus. Ex Palaestina & Syria, de quo non magis dubitare licet, transiit ad Hebraeos in Asia minori degentes, revidit cœtus, quos olim tanto cum fructu in do-

etri-

Et in pietatis salutari erudierat, salutavit quoque Colossenses, sibi de facie haec tenus non cognitos, sed quorum tamen videndorum & desiderio & spe certa ab aliquo tempore tenebatur, quod testatus fuerat Philemoni Ecclesiae Colossensis Episcopo. Philem. 22. Et his omnibus peractis, Ephesum perrexit, ut post salutatum illic carissimum sibi Ecclesiae Ephesinae cœtum, iter suum in Graeciam persequeretur.

§. X. Qui miserandam infelicium horum temporum conditionem recte perspectam habet, mihi non gravatae Paulus A.C.
Ep. per venit
Ephefum, &
post morara
aliquam, il-
lic Timotheo-
um reliquit. largietur, Paulo, vastas illas Judaeae, Syriae & Asiae minoris, Provincias peragranti, & Ecclesiæ Christiani nominis numerosas in his Provinciis paterno & Apostolico affectu, lustranti, tantum ubique negotiorum, occupationum, & curarum objectum fuisse, ut minus quam unius anni spatium obambulationi isti vix assignari queat. Concedendum itaque erit, Paulum sanctæ hujus peregrinationis curriculum absolvisse exeunte anno 64. aut ineunte 65. quo cum Timotheo suo Ephesum pervenit. Obtigit itaque Paulo exoptata illa felicitas, cuius spem, ante septem annos, cum Presbyteris Ephesini Miletii valedixisset, plane abjecerat, ut carissimos suos Ephesinos, quos tot laboribus & doloribus Christo Domino parturiverat, quosque tanta cura & industria in doctrina fidei & pietatis enutriverat, revidere, & se cum illis in Domino oblectare potuerit. Verum tamen sanctum hoc Pauli in Domino gaudium permultis cogitationibus molestis & sollicitudinibus non mediocriter temperatum fuisse, facile intelliget, quisquis praedictiones Pauli de statu Ephesiolorum Actor. XX. 29. 30. cum epistola illius postea ad eosdem conscripta & duabus ad Timotheum Ephesi degentem directis, accurate contulerit. Consideranti haec obscurum esse non poterit, quantum jam illo tempore infelicis Zizaniae tri-

tico genuino & laeto inter Ephesios admixtum, & quantum paleae fœni ac stipulae, fundamento solido, ab Apostolo illic laboriosissime posito, superinductum jam fuerit. Itaque res haec tanti ponderis, in qua salus non tantum Ecclesiæ tam illustris Ephesinae, verum & multarum aliarum, quam maxime vertebatur, novos utique Pauli indefessosque labores, nova certamina, novas curas & sollicitudines, novas & concatenatas vigilias, multumque temporis sibi depositis. Quis credit, Apostolum hoc omne aut necessitatibus urgentissimis Ecclesiæ Ephesinae, aut intensissimo suo in eam affectui denegare vel voluisse vel potuisse? Liquet certe ex 1. Tim. I. 19. 18 eum, in Ecclesia Epesina, ut aliis terrorem incutere, in haereticis quibusdam maledicentiae & pertinaciae invictæ, Hymenæo & Alexandro, actum auctoritatis & severae disciplinae Apostolicae exercuisse, quamquam dubitari possit, utrum id a Paulo Epesi præsentem, an vero absente postea in Macedonia factum fuerit. Vid. §. XIV. Insunxit igitur & hic partem temporis non ignobilem, quinimo, postquam, rerum necessitate id exigente, Epheso in Macedoniam discessisset, amori tamen suo in gregem sibi adeo carum tenerimo, usque adeo resistere non potuit, ut priusquam oras has in universum relinqueret, iterato adhuc Ephesios suos reviseret, ultimumque vale illis tum diceret, quod in sequentibus docebitur. Interea cum Paulo nunc pes Epheso aliorum effet promovendus, cavit tamen, ne ex discessu suo Ecclesia aliquid pateretur detrimenti, ideoque Timotheum suum illic permanere jussit, uti non ita pridem ante Titum in Creta, qui res omnes auctoritate sua ad pristinum ordinis, pacis, & aedificationis statum reduceret, maluitque ipse suavi contubernio tam cari & sancti capitis carere, quam Ephesios suos consilio & auxilio tanti viri, tempore perdifficili, orbare. Ea de

de re Apostolus ipse ad Timotheum sic scribit : *Rogavi te, ut remazeres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter do-erent &c.* 1. Tim. I. 3. Haec enim sa-
tis docent, Paulum, reliktis Hebraeis suis, Colossensi-
bus, ceterisque Asianis, pervenisse Ephesum, ibique af-
fatum negotiorum reperisse, quæ, cum diutius illuc ma-
nere non posset, perficienda concredidit Timotheo. E-
pistolam vero hanc ad Timotheum, ista respicere, de
quibus nunc loquimur, tempora, mox liquido proba-
bitur.

§. XI. Quia de rebus Ecclesiae Ephesinae hujus tem- *De rebus E-*
poris aliquid delibavi, exponere mihi liceat, quae ista *pheſinis illi-*
meditanti in mentem venerunt. Et primo quidem ob- *us temporis*
ſervasse non injucundum erit, laboribus Pauli, qui Eccle- *quaedam*
ſiam Ephesinam tanto studio plantaverat, & tam sollicita *obſervantur*
industria & ipſe & per alios continuo veluti irrigaverat,
Deum quoque benedictionem uberrimam, & laetissi-
mum incrementum addidisse. Etenim cum sub ultima
Pauli tempora, in illustrem illam Ecclesiam, lupi rapa-
ces, Pseudo-propetae, doctores mendaciorum & erro-
rum furtim ſe insinuarent, ac fidei piorum, & puritati
cognitionis eorum infidias struxissent vehementer me-
tuendas, curis tamen & vigiliis Pauli atque Timothei
effetum tandem est, ut malum tantum feliciter cum
ipſa radice evelleretur, & fidei rectitudo illibata con-
ſervaretur, cuius rei testem habemus JOHANNEM
Apostolum Apocal. II. 2. 3. 6. & IGNATIVM An-
tiochenum, a temporibus Johannis non ita remo-
tum, cuius Epifola ad Ephesios immortale quoddam genui-
nae ipsorum fidei & verae pietatis Monumentum cen-
ſenda est. Si porro acta Pauli & Timothei Ephesina ac-
curate ab omni parte verso, aliter quam ſic statuere non
poſſum, Johannem Apostolum, nullas adhucdum illo

tempore Ephesi, & in Ecclesiis Asianis, obiisse Doctoris partes, quod eum postea fecisse certissimum est. Aliis rationibus id ipsum docte & egregie probavit B.LAMPIVS in Prolegom. ad Johannem L.I. c.III. §. 7. 9. 10. quibus id, quod hic proferimus argumentum, novum pondus adjicit. Quid quaeſo opus fuisset Paulo, ut discedens Epheso, propter infelicitatem & difficultatem illorum temporum, Timotheum post se relinquere, sequi consortio ejus suavisimo ipſe privaret, si aut Ephesi, aut in vicina adfuisset Johannes? An non tanta erat magni illius Apostoli & sapientia & auctoritas, ut malis, quae Ecclesiam Ephesinam turbabant, medelam idoneam parare potuisset? Praeterea in duabus Epistolis, quas Paulus ad Timotheum perſcripsit, dum is hæreret Ephesi, nullam omnino Johannis mentionem fieri videamus, & id ab Apostolo, qui in salutandis fratribus & amicis usque adeo diligens & prolixus est. Salutem sane nominatim Ephesiſ quibusdam dicit 2. Tim. IV. 19. at de Johanne altum semper & pertinax silentium. Idem illud ex Epiftola ad Ephesiſ luctulentissime confirmatur, de qua ſuo loco. Quid an non hoc indicio luctento eſt, Johannem tum ab iis regionibus etiamnum abfuiffe?

Eodem anno 65. Paulus in Macedoniam proficitur

§. XII. In eundem A. C. 65. videtur mihi profeſtio Pauli Macedonica conjicienda eſſe. Nam Epheso reliqua, quod vidimus §. X. trajecit in Macedoniam, haud dubie eo animo, ut Ecclesiis in illa Provincia, studio suo Christo Iefu colleetas, amplissimas & florentissimas, Philippenſem, Theſſalonicensem, Berœensem, aliasque adiret, ac verbi Divini virtute potenti recrearet. Philippiſibus, qui per delegatum ſuum Epaphroditum eum Romae ſalutaverant, & munificentia ſua refocili-

focillaverant, multa cum tenerimi amoris demonstratio-
tione id promiserat Phil. I. 8. 25. II. 24. Potestate igitur nunc sibi facta plenisima, fidem datam liberavit, suoque & illorum desiderio mutuo satisfecit. Quamvis autem fatendum omnino sit, Paulum Philippenses, optime, si quicquam alii, de se meritos, affectu prorsus singulari prosecutum fuisse, nemo idcirco alias in Macedonia fidelium greges excluderit, quippe quos omnes Christo Domino per Evangelium pepererat, quos amore paterno & cura Apostolica aluerat ac foverat, & qui omnes opem ejus & tutetam pastoralem flagitabant. Quod uni promisit, id omnibus servavit atque praestit. Ceterum quando Paulus Epheso abiens, cursum in Macedoniam direxit, omnino credibile est, eum & nunc eo itinere perrexisse, quod semper servare solitus est, quoties ex Asia in Macedoniam, aut ex Macedonia in Asiam trajicere voluit. Epheso nempe Troadem petiit, & Troade in oppositam Macedoniam solvit. Vide Auctor. XVI. II. 12. XX. 4. 6. Quod eo tantum moneo, ne quis suspicetur, Paulum nunc forte iter in Cretam suscepisse, de quo §. VIII.

§. XIII. In Macedonia, quod multa suadent, Apostolus noster Anno hoc 65. primam ad Timotheum Epistolam perscripsit. Nam in ea loquitur de itinere suo Epheso in Macedoniam suscepso, & Timotheo Ephesi relicto. 1. Tim. I. 3. ut *de re super gesta*, quod bene monet LVD. CAPPELLVS in *historia Apostolica illustrata* p. 74. et si ab illa ratione temporum, quam hic ineo, vehementer discrepet. Censet namque, Epistolam I. ad Timotheum, scriptam fuisse multo ante priora Pauli vincula Romana, cui sententiae applaudunt etiam SALMASIVS in Apparatu ad Primum Papae p. 38. 41. & magnus

A. C. 65.
scripta est
Epistola I.
ad Timotheum
in Macedonia.

Scripturae interpres, COCCEJVS; sed reclamante a-
pertissime genuina historia Apostolica. Ex Epistolae
enim 1. ad Timotheum loco cit. intelligitur, Paulum eo
tempore Epheso petuisse Macedoniam, Timotheo post se
relicto, quod in nullum tempus, vinculis Romanis pri-
us congruere posse, jam dudum vere & recte observa-
vit BEZA ad 1. Tim. 1, 3. idque multis docte & prorsus
inviuste probavit * PEARSONVS Dissertat. I. *de primis Epi-*
scopis Romanis cap. IX. in Opp. posthumis p. 75. 76. Omnia
nos jubent cogitare de tempore aliquo, quod vineula
Pauli Romana priora infecutum est. Potest etiam hoc
non immerito urgeri, Paulo, cum Presbyteris Ephefinis
Mileti valediceret, nondum aliquid de doctoribus erro-
rum & mendaciorum in ipsorum cœtu cognitum fuisse;
sed eum hac dē re loqui, ut aliquanto post futura, A&T.
XX. 29. 30. 31. At vero in Epistolis scriptis ad Timothe-
um, testatur Apostolus, adeisse jam lupos illos rapaces,
optimo Ephesiorum cœtui valde pertimescendos, adver-
sus quos omni prudentia, omni studio, industria, & vi-
gilantia, Timotheo decertandum sit. Igitur Episto-
lam ad Timotheum, etiam priorem, compluribus annis,
eo tempore, quod volunt viri eruditii, posteriorem esse,
consequitur. Denique & hoc animadversione dignum
est, Epistolam ad Timotheum utramque, in eodem fe-
re verfari argumento, ut nempe ille edoceatur, quomo-
do munere Doctoris Apostolici, ad tempus sibi in Eccle-
sia Ephesina concredito, ad gloriam Dei, & veram Ec-
clesiae illius salutem rite fungi deberet. Luculenter
apparet, Timotheum toto illo temporis intervallo, con-
stanter haesisse Ephesi, gubernationi illius Ecclesiae &
vi-

* Consuli hic etiam potest Interpretum N. Testamenti Gallicorum
Berolinensium Praefatio in 1. Epist. ad Timotheum p. 348.

cinarum, ex voluntate ac mandato Pauli unice inten-
tum, neque interea labores Evangelicos alios in se suscep-
pisse. Jam quid quaeso ex eo sequi necesse est? CAP-
PELLVS Epist. I. ad Timotheum conjicit in an. 52. &
posteriorem in an. 64. nam huic anno illigat quoque
martyrium Pauli, quod brevi tantum praecesit Episto-
la ad Timotheum scripta posterior. Quod si vero ste-
mus calculis PEARSONI, quos ego hic semper fere se-
quor, mors Pauli, adeoque 2. ad Timotheum Episto-
la protrahenda erit ad an. 68. Intercesserunt igitur
inter scriptam pistolam utramque anni plus minus sede-
cim, quale longum intervallum, res in utraque Episto-
la pertractatae, saepius eadem plane, nullo modo ad-
mittunt. Dicendum præterea esset, Timotheum ab
anno 52. usque ad 64. vel 68. constanter Ephesi haesisse,
neque ab urbe illa discessisse, quod totum ordinem hi-
storiae Apostolicae, vel ex ipsis CAPPELLI sen-
tentia, immane quantum conturbaret. Quocunque
igitur te vertas, fatendum semper ultimo erit, scriptam
esse priorem ad Timotheum Epistolam, tempore inter-
vincula Pauli Romana, priora & posteriora, interme-
dio.

§. XIV. Cum Paulus, comite Timotheo, ad Ephesios,
post vincula sua Romana pervenisset, intellexit non fi-
ne gravi dolore, in cœtu ipsorum, ex quo eum non vi-
derat, multa in deterius fuisse mutata. Intruserant se
in cœtum, disciplina optima imbutum & formatum, ho-
mines, qui neglecta solida religionis & pietatis cogni-
tione, animum suum adjecerant ad quaestiones argu-
tas & subtileas, sed inanem, ad pugnas de vocibus, &
disputatiunculas aridas, e scholis infelicer in Ecclesi-
am tractas, studioque hoc vano atque inutili aliorum
Paulus o
Macedonia
Ephesum re-
dit.
men-

mentes quoque inflammare cupiebant, 1. Ep. I. 4. 6.
 IV. 7. VI. 4. 5. 2. Ep. II. 14. 23. III. 7. Erant qui
 ab ipso veritatis tramite longius recederent, & castam
 divirae religionis doctrinam turpiter incrustarent, 1.
 Tim. I. 3. VI. 3 2. Tim. IV. 3. 4. Ne deerant qui-
 dem, qui errores capitales, ipsum sanctissimae fidei &
 spei nostrae fundamentum labefactantes, sine verecun-
 dia spargerent, 1. Tim. I. 19. IV. 1. 2. 2. Tim. II. 18.
 ut nihil jam dicam de pietatis vero studio & jugi exer-
 citio, quod passim à multis jam tum vilipendi coepisse,
 Epistolae hae plus satis declarant, quo factum est, ut
 apud nonnullos excellentissimae religionis contemnus
 oriretur, & horum quidam a salutari fide re ipsa des-
 cenderent. 1. Tim. V. 15. VI. 10. 2. Tim. IV. 10. Equi-
 dem plerique, sordibus hujusmodi commaculati, praes-
 ente Apostolo, auctoritatem ejus reveriti, crimina sua
 & dedecora callide dissimulabant, & impietatis semi-
 na, nonnisi clanculum spargebant; ast reperiebantur
 tamen, qui omni pudore conculcato, honorisque Apo-
 stolo debiti plane immemores, Paulo aequo ac Timotheo
 palam in faciem obniterentur, & temeritate incredibili
 ipsos non minus, quam doctrinam eorum vocibus blas-
 phemis incessanter non vererentur. Eos inter Paulus nu-
 merat *Hymeneum & Alexandrum* 1. Tim. I. 20. 2. Tim. IV.
 14. & priori loco testatur, se eos *Satanae tradidisse*, ut nem-
 pe afflictione hac corporaliter valde molesta, extra ordinem
 à Deo immissa, fracti & contriti, ad frugem bonam se
 reciperen. Crediderim, Paulum severum hunc dis-
 ciplinae Apostolicae actum, in hominibus pertinaciæ
 invictæ, non Ephesi præsentem, verum postea in Ma-
 cedonia absentem exercuisse, & ideo nunc demum ea
 de re Timotheum certiorum reddere, quale quid adver-
 sus aliquem e cœtu Corinthiorum olim quoque statue-
 rat

rat. I. Cor. V. 3. 4. 5. Et his quidem de causis, Apostolus noster diutius utique libenter apud Ephesios permanens fuisset, ut scandalum omnia sublata, & cuncta in pristinum statum restituta, oculis suis videret, nisi ipsum negotia ponderis non minoris in Macedonia vocassent. Non tamen tum abiens, Ephesios suis vale ultimum dicere sustinuit. Quamvis enim descendens in Macedonia, loco suo, Timotheum, plena auctoritate instructum, ipsis reliquisset, redire tamen ad eos e Macedonia decreverat. Timotheo suo istud promittit in prima Epistola III. 14. *Spero, me quantocius ad Te venturum esse, & IV. 13. Insiste lectioni, abhortationi, doctrinae, donec veniam.* Et respondisse etiam cogitatis hisce Apostoli atque promissis eventum, non est, quod dubitem, cum in posteriori ad Timotheum Epistola, Romae in vinculis novissimis scripta, vestigia illius rei non obscura invenire liceat. Eo libenter retulerim, quod c. I. v. 4. scribit: *Cupio se videre, memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear.* Quae illae lachrymae hic cogitari possunt, nisi quas optimus Timotheus fudit, in ultimis Pauli sui amplexibus, cum is iter adeo longinquum & periculosum in Italiam susciperet, & quarum nunc Paulus de Timotheo cogitans, non poterat non meminisse. Et viae quoque, quam tum Paulus, Epheso in Graeciam delatus, tenuit, luculenta designatio occurrit c. IV. ubi v. 13. *Penulam, inquit, vel thecam librariam, quam reliqui Troade (Vide §. XII.) veniens affer te-*

D

cum

cum. &c v. 20. *Trophium autem reliqui infirmum Mileri.*
Confer Act. XX. 17.

Inter haec igitur, A. C. 65. existimaverim fuisse
exactum. Quid annis sequentibus molitus fuerit ma-
gnum Apostolus, & quae ipsi ad mortem usque eve-
nerint, Dissertationi de eodem argumento proximae
reservare cogor.



D

155556

AB 155 556

X2613390

ULB Halle
008 342 946

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D. B. V.

DE

PAULI APO-
ABORIBUS à B.
PRÆTERMISSIS
SERTATIO I.

QVAM
TATORII MODERATOR
ERNESTUS
BLONSKI
D. ET PROF. P. ORDIN.

ET
ESPONDENS
ANVS COCHIVS
felda - Westphalus
St. et St. R. A.
JUBLICO SUBMITTENT
April. MDCCXLVI.
COQVE CONSVENTIS

FURTI ad VIADRUM
ARTINI HVBNERI.

25

B. 25